ALMÆ ACADEMIÆ GISSENÆ

RECTOR,

HULDERICUS, COMES à PROMNITZ, BARO IN PLESSIS, SORAVIA, TRIBELLIS, ET NAUMBURGO, &c.

Omnibus Civibus Academicis, S. P P.

REM literariam ſincero qui affectu fovent, non iniquâ ratione hortulanos imitantur, quibus, ut in hunc ordinem dirigatur opus, propoſitum eſt, ut hortos inſtruant amœnos, eóſq; averruncatis extirpatiſq; ſpinis & malis herbis, roſis conſerant, quæ gratum naribus odorem præbeant, adſint & vireta, quibus oculi paſcantur, & poma &c, quæ manibus carpantur. Sic literarum Cultores, diſſipatis errorum nebulis, ſanctiſſimas Leges implantant ſeminariis: Diſſertationes optimas: dicta memorabilia: Sententias exquiſitas, factaq; inſignia, quibus imbuantur advenæ erudianturq;: Ut, quid tum pro animarum tranquillitate, tum Patriæ conſervatione loquendum rectè, vel agendum ſit, affatim conſtet. Hi propoſituri ſunt, quæ ſciunt arteq; edocti ſunt; Non ut ſciant, quod curioſitas eſt: Non ut ſciantur, quod vanitas eſt: Non ut lucrentur, quod cupiditas eſt: Sed ut ædificent, quod charitas eſt. Ut nunc excitetur diſcendi ſtudium, augeaturq; fructuum ubertate ſupellex literaria, horti Muſarum omnibus exhibentur aperti, quorum diverſis lectionum hoc inſtante vere & inſequente æſtate habendarum floribus conſitæ areolæ ex appenſâ hac patebunt tabellâ. DEUS *ter Opt. Max. ex alto felicitet propoſitum & ſanctiſſimi Spiritus gratiâ docentes & diſcentes juvet & corroboret, actuſq; omnes cœleſti rore fœcundet. Giſſæ, ſub Sigillo Academiæ majore, XII. Martii, M. DC. LIV.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Juſtus Fewrbornius, SS. Theol. D. & Profeſſor. 1. Poſtquam abſolvit novem priora capita 1. ad Cor. Epiſtolæ; ſeqq. capita 10. 11. 12. &c, publicis Lectionibus explicabit. 2. Diſputationes ſuas ſuper Epiſtolam ad Galatas, typis impreſſas, privatim ventilabit. 3. Diſputationes ſuas publicas de divinâ peccatorum remiſſione, continuabit.

Petrus Haberkorn / S. Theol. D. & Profeſſor Ordin. Lectiones publicas Anti-Calvinianas, quoad illa quæ reſtant, & propter materiæ copiam ad finem perduci nequiverunt, continuabit, & nihil intermittet, quod Studiis Auditorum proficuum erit. Collegiis etiam, Anti-Calviniano & Concionatorio, privatis feliciter unà cùm Lectionibus publicis concatenatâ ſerie habitis, per Dei gratiam abſolutis, hoc æſtivo tempore Anti Becanianum, ut & aliud Concionatorium Collegium privatum in uſum Studioſorum aperiet & habebit. Publicas itidem Diſputationes, typis impreſſas inſtituet, Jeſuitarum ſtrophas confutaturus, quibus hactenus multos faſcinare enixi fuerunt.

M. Johann. Nicolaus Mislerus, S. Theol. & Hebr. Linguæ Profeſſor Ord. & Stipend. Ephorus, abſolutâ Synopticâ Locorum Theologicorum expoſitione, pertractandum aſſumet publicè Deo volente, Pentateuchum, perſpicua & fructuoſa methodo: Collegium rurſus aperiet Theolog. Diſputatorium juxta ſeriem certi Autoris vel Quæſtionum ad diſputandum propoſitarum, pro lubitu Dnn. Studioſorum. Nec in Hebraicis S. Linguæ peritiam expetentibus ſuam denegabit operam.

David Chriſtiani SS. Th. D. & Prof. Extraord publicè locum de *Chriſto & Anti-Chriſto* hoc ſemeſtri æſtivo prælegет, *Diſputationes publicas Anti-Jeſuiticas* continuabit, privatim verò *Collegia Lectoria & Diſputatoria* inſtituet.

IN FACULTATE JURIDICA.

Juſtus Sinolt dictus Schütz / U. J. D. Cancellarius & Profeſſor primarius, finito Legationis munere, quo jam in Comitiis Ratisbonenſibus fungitur, in præcipuis Imperii Conſtitutionibus interpretandis perget.

Gregorius Tuſnerus, U. J. D. Conſiliarius & Profeſſor Codicis Ordinarius, p. t. Decanus, in explicandis uſitatioribus Codicis Legibus, methodo, quâ cœpit, perget; caſus etiam inſigniores Facultati ſubinde oblatos, explicabit.

Jacobus LeBleu, U. J. D. & Profeſſor, p. t. Pro-Rector, in publicis Lectionibus, quatenus fieri poterit, materiam Contractuum continuabit. Privatim Collegia pro lubitu Dnn. Studioſorum aperiet.

Martinus Müller / J. U. D. & Profeſſor Ordinarius, publicè leget Inſtitutiones Juſtini neae illo ordine & methodo ... diſcere volentibus in ſtudiis conducibilem omninò credat. Continuabit etiam & d... cum gratia abſolvet Collegium ſuum Juris explicatorium privatum, & in aliis omnibus ſeſe officio ſuo atque deſiderio & expectationi Dnn. Studioſorum accommodabit, inprimis aperiendo Collegium Juris Noviſſimi Theorico-Practicum, vel explicatoriũ vel diſputatorium.

Joh. Helvicus Sinold, cogn. Schütz / Jurium D. & Profeſſor Extraordinarius, Deo ita volente Conſtitutiones Criminales Caroli V. publicè explicabit.

IN FACULTATE MEDICA.

Johan Daniel Horſtius Phil. & Medicinæ D. Profeſſor & Archiater Haſſo-Darmſtatinus, dum per negotia quamplurima, quibus clementiſſimo Sereniſſimi Principis juſſu in aula detinetur in Academia publicè profiteri nequit, operam tamen nihilominus per conſilia Medica Collegio Medico & Studioſis Medicinæ requiſitus præſtò pollicetur.

Johannes Tackius, Phil. & Medicinæ D. Profeſſor Medicinæ Ordinarius publicus & Archiater Haſſo Darmſtatinus, exantlatis ſuy ...is & pectoris morbis pottiſſimis ad illorum deinceps explicationem & curationem accedet, qui infimi ventris ſunt, methodo perſpicua & facili; Studioſis & Medicinæ in chymicis monſtrabit ad naturæ ſecreta viam; atq; ubi voluerint ad ægros ſimul deducet, ut tanto rectius morborum curſus magnitudinem, motum, mores, prognoſin & curationem addiſcere poſſint. Exercitia tandem tum publica tum privata pro lubitu & captu eorum inſtituet.

Georg Balthaſar Metzger / Med. D. & Prof. Ord. futurô ſemeſtri in demonſtrationibus tum Botanicis, tum Anatomicis pro loci & temporis occaſione operam ſuam offert. In cæteris etiam publicè & privatim Auditorum deſiderio pro viribus ſatisfaciet.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Caſpar Ebelius, Philoſophiæ primæ & Organicæ Profeſſor Ordinarius, in Logicis doctrinam enunciationis aliquanto fuſiùs exponet publicè: in Metaphyſicis, doctrinam de Deo proponet. Ne quid etiam exercitiis publicis diſputatoriis Philoſophicis deſit, in Logicis enunciationum doctrinam publicè aliquot diſputationibus exhibebit, &, quia nulla aphoriſmorũ Metaphyſicorum exemplaria ſuperſunt, univerſam illam ſcientiam XIIX. Diſpp. ſive publicè, ſive privatim proponet, adjunctâ utiliſſimâ Canonum vel regularum doctrinâ, ut tamen nulla diſputatio octernionem excedat.

M. Joannes Cunradus Dieterich / Græcæ Linguæ & Hiſtoriarum Profeſſor, ex variis Autoribus condigna utriq; Profeſſioni proponet publicè, idemq; privatim præſtabit eo nomine rogatus.

Jacobus LeBleu, J. U. D. Profeſſor & p. t. Pro-Rector, in Politicis nobiliores quæſtiones publicè proponet; Collegia quoq; privata, tum explicatoria, tum Diſputatoria inſtituet.

David Chriſtiani, SS. Th. D. & Mathemat. Prof. Ord. publicè Geographiam prælеget, praxinq; & uſum Inſtrumentorum noſtrorum Mathemat. oſtendet. Privatim *Collegia Arithmetica, Geometrica, Aſtronomica, Geographica, Aſtrologica & Optica*, ad votum & captum Auditorum, inſtituet.

Martinus Müller / U. J. D. & Philoſophiæ Moralis Profeſſor Ordinarius, in Lectionibus publicis præcepta tradet & exponet Ethica, & privata aperiet Collegia explicatoria & diſputatoria.

Joh. Helvicus Sinold, cogn. Schütz / D. & Eloquentiæ Profeſſor Ordinarius, Deo volente de Locis Rhetorum porrò aget.

Georg-Balthaſar Metzger / D. & Phyſices Prof. Ord. publicè Pſychologiam abſolvet: Privatim autem pro voto & deſiderio Dnn Studioſorum Collegia aperiet.

M. Johannes Scheiblerus, Hiſtoriarum Sacrarum & Eccleſiaſticarum Prof. P. Extraordinarius, Hiſtoriam de Chriſto, eâ qua incepit methodo continuabit. Collegia etiam privata ad placitum Dnn. Studioſorum inſtituet. Diſputationes etiam habebit ulteriùs, & uberrimè compenſabit, quæ elapſo tempore ob nonnullorum negociorum interventum præpeditus præſtare non potuit, ut nihil Hiſtoriarum Cultores ſacri jure deſiderare poſſint.

GISSÆ, Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII Academiæ Typographi, Anno cIↄ Iↄ c LIV.